DE SPONDYLARTHROCACE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE II. MENS. FEBRUARII MDCCCXXXIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CAROL. ALBERT. RUDOLPH. GRUNOW
MAGDEBURGENSIS.

OPPONENTIBUS:
FR. DRESCHER, MED. ET CHIR. DD.
B. BLOCH, MED. ET CHIR. DD.
ED. WERNER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO

C. F. HEINEKE,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, DUCI ANHALTO-BERNBURGENSIUM A CONSILIIS MEDICIS ET AULICIS, APUD BERNBURGENSES HODIE MEDICI PRACTICI MUNERE FUNGENTI,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

In morbis vertebrarum et, quae connectunt eas, ligamentorum praecipue recentiore tempore spondylarthrocace medicos et eos, qui anatomiam tractant, ad investigandam ipsam incitavit. Quamquam forma hujus morbi medicis antiquioris temporis, etiam Hippocrati, nota erat, attamen P. Pott, permagna laude dignus, perscrutationibus anatomicis nixus primus hujus morbi naturam satis in lucem protulit et curationem aptam adhibuit. Pottium, hunc morbum nomine paralysis extremitatum inferiorum pronuntiantem, hanc tantum symptoma esse, non fugit; et Rust, quum doctrinam morborum articulorum praeclaris experimentis multum auxisset, huic morbo aptum nomen spondylarthrocaces dedit.

Qui morbus, Rustio auctore, est larvata vertebrarum inflammatio, quae formam earum et consistentiam lente mutans, dislocationem, violentia non

effectam, perfectam vel imperfectam vertebrarum cum destructione ulcerosa adducere solet.

DECURSUS SPONDYLARTHROCACES.

Qui cum morbus medullae spinali, uni ex gravissimis totius corporis organis, proximum sese gerat, symptomata vehementissima aeque ac periculosissima exspectare possumus. Haec sunt:

1) Symptomata, quae statim annunciant, aegras esse vertebras et cartilagines intervertebrales.

2) Symptomata, quae pressa medulla spinali efficiuntur, vel quae alium in modum irritatione cum hac tam gravi systematis nervorum parte communicantur.

Pott erat primus, qui hunc vertebrarum colli inferiorum et dorsi et lumborum morbum tam praeclare descripsit, ut nomen hujus scriptoris huic morbo additum sit.

Per totum morbum quatuor stadia, quae curationi magni momenti sunt, magis minusve perspicue discernere possumus.

Stadium primum prodromorum, (inflammatorium, dolorificum) hoc malum adhuc dynamicum sine ulla deformatione determinat; symptomata sese habent levia et vix animadvertenda. Hoc morbo

affectus, qui pallidus et aeger adspiciendus est, interdum de dolore aegro in articulo perseverante non vehementi sed singulari conqueritur, qui vespertino tempore, febre facili, exacerbatur, et per noctem augetur.

Loco, quo dolor est, nihil memoratu dignum vidi nec tactu sensi; si vero fortius premitur, vel jam premente columnae vertebrarum parte ipsa et capite, dolor valde augetur, qua re plerumque morbus cognoscendus est. Praeclarum est ad illustrandam rem illud Copelandii experimentum, qui spongia, aqua calida madefacta, spinas vertebrarum lente sublinieus, sedem doloris cognovit. Praeterea per hoc stadium interdum lassitudo et debilitas extremitatum inferiorum, conjunctae cum dolorosis spasmis, accedunt.

Nonnullo tempore praeterlapso eminentia unius vel plurium processuum spinosorum, quod transitum facit ad stadium secundum subluxationis, emergit.

Quaedam vero extremitatum inferiorum paralysis se manifestans incertum reddit corporis motum et aegrotantem fatigatum; nec non dolores augentur, quia nunc loco eminentiae alligantur.

Nihilominus tamen malum saepe negligitur, et

tum transit celerrime in stadium tertium luxationis, quo tota articulorum luxatio et vertebrarum flectio, eodemque tempore destructio cariosa cum periculis magnis invenitur, quo tunc omnis spes ad curandum deleta est. Extremitates inferiores paralysi affectas se ostendunt; simul apparet nunc puris copia non parva, (stadium quartum ulcerosum), quae aut per partes affines ad superficiem pervenit et tum ad latus columnae vertebralis, vel ad intestinum rectum, vel sub arcu ossium pubis vel in regione inguinali conspicitur, aut occulta restat, et in unam ex cavitatibus majoribus se effundit in iisque ipsis tam diu accumulatur, quoad febris hectica brevi tempore, vires aegrotantis consumens, vitae finem imponit.

Est facillimum de malo perperam judicare et diagnosis difficillima, si nonnulla symptomata pathognomonica, morbo decurrente, non excellunt, vel deficiunt, vel mutata videntur. Itaque haud raro animadvertunt medici, paralysin aut plane deficere, aut, motu tantum ablato, sensum perdurare, aut motum alterius tantum extremitatis inferioris, vera paralysi se non ostendente, ac malo usque ad finem jam progresso, impeditum esse.

Attamen non omittendum est, resolutiones ner-

vorum extremitatum inferiorum ab aliis causis deduci posse, et quamquam Pott differentias inter paralysin e spondylarthrocace et ex aliis causis effectam attulit, non sufficiunt, nec certiores nos reddunt, malum spondylarthrocacen distincte esse habendum. Nec non dolorem animadvertimus a forma supra descripta differentem, nec dolor illustrat hunc morbum, quod, praecipue ineunte morbo, dolore rheumaticos vel haemorrhoidale ex aequat. Haud raro a diagnosi aberramus, deducti symptomatibus sympathice affectorum organorum cavi thoracis, praecipue sensus cujusdam anxietatis et difficultatis in scrobiculo cordis, qua re malum, nulla deformitate vertebrarum, crescente febre hectica, morbum pulmonum organicum esse putamus, donec tandem aegrotans effuso pure in cavum thoracis aut abdominis subitae morti succumbit.

Saepe curvatio, quae deletis tantum vertebris effici potest, initio vix animadvertenda est, et paullatim manifesta, quo tunc columna vertebrarum prona inflexa angulum facit in tergo. Quae tamen deformitas in ulcerandis vertebris colli inferioribus non adest, quia horizontales processus spinosi vix mutantur; contra, processus spinosi vertebrarum dorsi descendentes, in quibus corporum substantia

consumitur, se erigunt, et magnam flexionem plerumque afferunt. Saepissime hic morbus vertebras inferiores dorsi et lumbales corripit, a quo loco in stadio ulceroso apostemma, quod nominatur abscessus congestivus, saepius in anteriorem superiorem femoris partem, quam in cavum abdominis vel in canalem medullae spinalis se effundit. Qua in parte hic morbus initio plerumque inflammationem et suppurationem musculi psoae se enuntiat, quae re vera adest, sed tantum exitu spondylarthrocaces.

Ut sedem morbi distinctius describam, signa magni momenti afferenda sunt: Aegrotantibus vertebris colli inferioribus motus capitis dolorosus, respiratio difficilis est; vertebris dorsi anxietas quaedam in regione epigastrica et musculorum abdominis laxitas et inertia animadvertuntur; vertebris lumbalibus, vesica urinaria et intestinum rectum, ob nervos, quos a medulla spinali accipiunt, patiuntur.

Certum vero et pathognomonicum signum, quod perspicacem virum, praecipue ineunte morbo tam occulto, effugere non potest, est dolor remittens aut intermittens, quem aeger, resupinus jacens et tranquillus sentit.

In sectione corporis hoc morbo mortui non-

nulla vertebrarum corpora a carie diruta, vertebrae his proximae dissolutae vel partim confectae inveniuntur, ut haud raro in spongiosam et mollem perversae sint consistentiam. Ligamenta concreta et laxa. Inter partes ossium e situ aberratas et apparatum ligamentosum effusa est multa vel pauca sanies, aut ea in affinem telam cellulosam musculorum se collegit, et saccum fere formavit, quae aut in externum, aut in cava, aut in remotas corporis partes penetrat.

In iis, qui curati demissi erant, quod rarissimum est, post mortem morbo antea correptorum ossium non solum forma mutata et degressa e situ, sed callosa luxurie obductae ipsae vertebrae reperiuntur, quae inter se adeo coaluerunt, ut motus fieri non possit.

Eundem processum morbosum videmus in vertebris colli superioribus, tamen perspicaciorem eamque ob causam minus periculosum, accidit plerumque inter occiput et atlantem, aut inter hanc et epistropheum. Qui tamen morbus, quum longe aliis symptomatibus incedere soleat, quam malum illud, quod a Pottio nomen fert, necesse mihi videtur tractem eum per se. — Jam veteribus haec morbi forma notissima, inde enim nomen ejus angina Hip-

pocratis ducendum. Nostris vero temporibus praecipue Rust experientiam veterum magis absolutam reddidit, imaginemque naturae maxime consentaneam nobis proposuit.

In stadio primo aegrotantes de dolorosis colli affectionibus querentes audimus; quae noctu, tempestate frigida simulque humida, fomentis humidis, magnarum cibi partium devoratione immo et respiratione augentur; quum cura calida et sicca, frictionibus volatilibus, emplastris irritantibus minuantur, interdum et omnino sanatae videantur.

Redeunt vero dolores priores longiore vel breviore temporis spatio interposito interdum et recentibus mutantur. Capitis ad humeros reflexio dolorosa, dolorque tractui aut tensioni similis ex larynge ad cervicem aut ad ipsos humeros tendit. Rheumatismi suspicatio, quocum initio facillime commutatur hoc malum, saepissime ex integro excitatur, cum eadem cura haud raro eundem felicem eventum adducat, causaeque occasionales hanc sententiam probantes non deficiant, nec in cervice mutationem organicam invenire possimus.

At jam hoc tempore incrementum doloris singularis pressu non nimio vehementi vertebris superioribus applicato, nobis demonstrat rem de malo

multo occultiori et majoris momenti esse. Simul erectum videmus aegrotantis caput in collo immobili et quodammodo contracto, quo plerumque et cervix incurvata, mentumque colli anterioribus partibus magis approximatum, apparet.

Quae molestiae vocis raucitate conjunctae increscunt, paulatim remissionibus imminutis, dolores renovantur in occipite et unaquaque capitis commotione modum excedunt; tandem caput immergitur ad partem aegrotae oppositam, quem situm servare aegrotus coactus est; quibus signis stadium secundum indicatur. Qui capitis lapsus, cum malum plerumque laevam partem ceperi, dextram versus fit, adduciturque partim formae commutationibus organicis harum articulationum, partim jam producta musculorum ignavia, qui ad hoc usque tempus tantum sympathice erant affecti.

His accedunt saepissime quam diversissimae passionis communis rationes, haud raro tensionis, lassitudinis et gravitatis sensus in tota parte loco affecto opposita. Tali modo variantur hae affectiones inter se per hebdomades et menses augentur et minuuntur; tandem dolor occipitis et cervicis constans, terebrans, somnumque auferens evadit; ad regionem frontalem usque procedunt hae molestiae

aegrotantique videtur caput annulo ferreo circumdatum. Ipsum caput magis erectum quidem apparet, tamen immobilius et rigidius, cervici adnatum est, quo morbus ad stadium tertium transit, in quo licet scire unamquamque valetudinis melioris spem evanuisse. Caput nonnihil ad latus illi oppositum convertitur, cui antea inhaesit. Mutatio et remissiones affectionum rariores, quae aegrotum tantum reflexum quodammodo levatum quiete et somno omnino privat. Unaquaeque situs mutatio vehementissimos infelici parat dolores; si erigere sese vult aeger, caput utraque manu elevet necesse est, eodemque modo agat, si recubare vult. His accedunt permultae nervorum affectiones: aurium susurrus, sopor, vertigo, spasmi, paralyses, praecipue superiorum extremitatum, aphonia; mors vero interdum ex inopinatu accedit aegrotum, nec non interdum doloribus immensibus per multos menses cruciatum.

Rarissime tantum vidimus hujus morbi stadium quartum. In hoc enim apparet in collo tumor, pure completus, qui apertos meatus fistulosos inspicienti praebet. Plerumque in externis colli partibus nihil morbosi reperitur, at pressus levissimus excitat dolores, simulque in retroversione colli dolorosa crepitatio exoritur vertebris sese terentibus.

In cadaveribus periosteum et ligamenta capsularia atlantis et epistrophaei diruta videbantur; sedesque morbi semper in articulis occipiti proximis erat, eamque ob causam maxima dirutio cariosa condylorum occipitalium atlantis, et processus odontoidei, praeterea puris effusio in partes cariosas harum regionum, quae eo erant corrosae.

Interdum et sanguinis sugillationes ex arteria vertebrali laesa, processum odontoideum fractum, puris effusiones in cavum pectoris, quae mortem repentinam adduxerant, vidi. Immo et aquam inter cerebri membranas aut ventriculos, mutationes morbosas membranarum ipsiusque substantiae medullae spinalis animadverti.

AETIOLOGIA.

Consentiunt quidem medici de symptomatibus hujusce morbi, at exstant de vera sede et causa proxima diversissimae sententiae. Contendunt nonnulli originem ducere morbum ex ossibus iisque proprium esse, contra alii, inter quos Brodie, incipere eum ex cartilaginibus membranisque synovialibus et tantum procedentem et ossa corripere. Quae res cum ita se habeat, certe constat, ut et Brodie confitetur, ortum hujus morbi sive ex os-

sibus, sive ex cartilaginibus difficillime esse inveniendum. Therapia vero certe eadem in utroque casu nobis restat.

Ne causae quidem remotae satis sunt notae, cum saepissime morbus repens appareat, et tantum ex conventu plurium rerum exortus videatur.

Quod primo attinet ad causas praedisponentes, certe habitus gracilis, major scrophulosis gradus, pleraeque aliae dyscrasiae magis huic morbo videntur aetate juvenili subjectae. Tamen nulla aetas, nulla vivendi ratio omnino est libera.

Inter causas occasionales primo nominanda mihi videtur diathesis scrophulotica, quae inter ossa prae ceteris spinam dorsalem sibi sedem eligere solet. Non raro vero in colli vertebris adest causa rheumatica, et omnino functio cutis suppressa. Arthritis contra praefert sibi sedem eligens alios articulos. Et cutis dyscrasia per exanthemata aut impetigines, suppressis legalibus aut habitualibus secretionibus metastaticum hoc morbi genus apparet. Tandem et mechanicae insultationes non quidem hoc vitium producere tamen augere, et ad majorem celeritatem perducere videntur.

PROGNOSIS.

Prae ceteris id agatur necesse est, ut morbus celerrime cognitus bene curetur. Causa simplici curatione effectus proximi levi, ut in simplici inflammatione vi mechanica mota, prognosis melior. Integritate ipsius articuli minus turbata morbo nondum longius durante eo certiorem curam instituere possumus; ita ut in utroque priore stadio bona sit spes habenda, at in tertio jam pressus in medullam spinalem articulo luxato motus maximum periculum moveat. Etenim et morbo finito bona cura, ablatis secretis abnormibus, vitalitate et viribus restitutis, tamen ossa ad rectum situm redigi non possunt. Pure vero jam viam sibi parante, sive ad externas sive ad internas partes, aut repentinae morti aut febri hecticae succumbit aegrotus, et rarissime tantum natura medicatrix in robustissimis hominibus hunc tristem eventum avertere potest.

CURATIO.

Curatio in hoc uti in aliis morbis ad causas removendas, viresque ad normam perducendas attendit, ipsaque est communis et localis, quarum prima pro varia morbi origine ac natura et pro

vario aegri statu differt. Morbus igitur si in homine valido, robusto ac plethorico, inprimis vero de causis mechanicis ortus sit, omnino methodus antiphlogistica, imo venaesectio ad suppurationem evitandam locum habet; contra si homo irritabilis, dolor magnus, si vigiliae adsunt, tum medicamentis sopientibus, imprimis opio ullo modo carere non possumus; causae vero si universales dyscraticae existunt, ut Rheumatismus, Scrophulosis, curatio his morbis apta adhibenda est. Quare saepissime antimonialia, guajacum, species lignorum, mitiora mercurii praeparata, baryta muriatica, aqua laurocerasi, digitalis, cicuta, jodeum (auctore Lujold), roborantia ut calamus, acidum phosphoricum etc. indicantur.

Maxime necessaria, ac praecipue infantibus magno commodo, sunt balnea tepida, medicamenta sopientia et diaphoretica, quibus pro variis casibus aut meris aut aliis remediis auctis uti licet. Inter alia eryngium campestre quoque ab Hohl remedium experientia probatissimum, ut omnino carie apparente, calamus, acidum phosphoricum et asa foetida magnopere imo specifica commmendantur. Quo stadio, si virium confectio in diem elucet, omnino non solum validus victus et nutriens, sed etiam

remedia roborantia atque incitantia, uti vinum, lichen islandicus indicantur, uti praeterea febris hectica intrans certis legibus curanda.

Curatione universali majoris momenti est localis praecipue ineunte morbo, quae id spectat, ut, quoad fieri potest, morbus invadens jam primo tempore opprimatur atque exstinguatur, nec minus regularis articuli constitutio jam dissoluta ad normam reducatur. Natura morbi, quaecunque causae existunt, semper eadem est, qua ex re curatio semper simplex, ac nonnisi pro vario morbi stadio differt.

Imprimis etiam atque etiam commendandum est, ut aeger quiete aeque ac plane in lectum solidum et elasticum collocetur, quidemque continuo per hebdomades et menses; quod saepe omnia mala symptomata mitigat et meliora reddit; quare aegri praecipue pueri talem situm valde desiderant ipsi.

Primo stadio, quo omnia ad tollendam inflammationem et intumescentiam referuntur, applicandae sunt hirudines, numero morbo idoneo; per pluresque hebdomades; quarum effectus copiose infricando unguentum hydrargyrum cinereum valde augentur; sicuti fomentationes, pro variis causis et irritabilitate aegri, calidae vel frigidae utiles sunt. Per

quam curationem antiphlogisticam dolore et inflammatione plane fere remotis, effectu transire possumus ad adhibenda remedia incitantia, quorum inprimis: linimentum volat. empl. incitantia, vesicatoria repetita et ung. Autenriethii.

Quae remedia jam secundo stadio non sufficiunt ad morbum exstinguendum; hic incitamento magis penetrante atque continuo efficaci egemus, ut vires in articulo excitentur et liquoris effusi resorptio derivando humore ad superficiem maturetur. Qua re indicatum est, (auctoribus Pott, Copeland, Boger, Crowther, Ford) articulo aegro quam proxime per kali causticum vel lapidem infernalem fonticulos duos, pro gradu incitamenti propositi IV—XX pisis consistentes, applicare. Quorum suppuratio tam diu sustinenda est, donec omnes molestiae plane remiserint; tum demum, cautionis vero causa serius etiam hebdomadem quamque pisum tollendum paullatimque ad cicatrisationem ulcus perducendum. Quantuscunque vero usus hujus remedii est, quem viri illi celebres et experientia edocti viderunt, nihilominus tamen hoc remedium a multis usu peritis ut Bell, Armstrong, Baynton etc. reprehenditur. Hic etiam, ut in aliis rebus, mediam tenere optimum est, eoque magis

cum haec curandi ratio modo magnum usum tulerit, modo exspectationi non convenerit. **Rust** etiam exiguum tantum effectum fonticulorum quidemque modo primo morbi stadio se vidisse contendit; contra vero ferri candentis usum, non modo fonticulos superantem, sed alia etiam commoda multa in se conferentem vidit, ita ut confirmet, idem unum esse, quod semper exspectationi conveniat. Nec minori commodo, eoque usu dignae sunt moxae a **Ponteau** rursus commendatae, quae resorptionem viresque valde incitant. Pro vario incitamenti gradu una vel duae moxae ad quodque vertebrae aegrotae latus adhibendae sunt, quae renoventur usque ad salutis restitutionem.

Tertio vero stadio, quo neque articuli ipsius partes, neque molles eum circumdantes partes ad normam perduci possunt, eo tantum medici animus intentendus est, ut destructionem progredientem retineat, atque vim naturae medicatricem, ad pseudarthrosin vel anchylosin formandam, adjuvet. Quod saepe, si partium affectarum vires satis validae sunt, ad localia talis exitus impedimenta removenda, eo efficitur, ut quietem exactissimam et incommodorum retentionem commendemus. Plerumque hoc non sufficit, atque tum etiam omnibus me-

dicamentis localibus: ferro candente ad vires valde excitandas et ad resorptionem puris et partium degeneratarum maturandam uti possumus. Quodsi autem tantum puris in articulum effusi et degeneratio articuli ita progressa est, ut resorptio non amplius fieri possit, jam saepissime a medicis celeberrimis interrogatum est, utrum abscessus dirumptio a natura ipsa effecta expectanda sit, an chirurgus ipse agat, ut abscessum aperiendo contenta educantur.

Dum alii medici doloribus horribilibus demisso pure ad inferiores partes saepe vitae periculoso et noxio effectu in totum organismum etiam atque etiam se impelli credunt, ut praecox pus evacuent; alii inprimis Ford hanc agendi rationem repudiaverunt, quum plerumque se expertos fuisse contendunt, per permixtionem sanguinis post punctionem ex interiore vomicae superficie effusi cum pure putrefieri, eoque constitutionem typho similem effici, quae aegri vitam celeriter ad finem perducat; contra vero malignos evacuationis effectus saepe non prodire, atque omnino morbi exitum secundiorem fuisse, quam si medicus ipse agat. Quodsi, ulceribus fistulosis ortis, quartum morbi stadium ingressum est, haec ulcera pro genere curanda sunt, qua

ex re plerumque fomentationibus aromaticis et antisepticis ut decocto chinae vel corticis salicis cum tinctura myrrhae, fistula autem fissa pulvere chinae et carbonis, camphora, oleo therebinthinae aliisque similibus uti necesse est.

MORBI HISTORIAE.

Simon Happach, textoris filius, tredecim annos natus, puer imbecillus, constitutione laxa, colore pallido, toto corporis habitu scrophulotico. Oculi, facies, vivendi et agendi ratio, neglectio omnium, quae enim circumdabant, hebetem eum esse, ostendebant. Prima aetate bona valetudine gavisus esse, saepe tamen glandulis intumescentibus, ophthalmia, tinea capitis, quae modo rursus apparebant, laborasse dicitur. Corporis vires puero, tot annos nato, nequaquam idoneae erant; fuit enim natura brevis, emaceratus ac debilis. Novem menses, antequam in nosocomium receptus esset, parentum secundum testimonium, in interiore superiore femoris dextri parte tumor se excoluit, qui sensim sensimque amplitudine augebatur, ceterum neque dolores, neque alias molestias aegroto efficiebat. Quo tempore recipiebatur septimo die Aprilis MDCCCXXXII, tumor non dolebat, cutis ejusdem neque inflamma-

tione rubescens neque calidus, paullulum vero intentus erat, et fluctuatio bene cognosci potuit.

Qui fere digitum et dimidium sub ligamento Poupartii, diffusus in internum femoris latus et paullulum in posticum erat situs. Functio hujus membri non erat laesa, nam aeger femur flectere, convertere et niti eo potuit, attamen corpore prono incedit. Tumor, similis ei, quem descripsi, primis diebus post receptum in regione lumborum vertebrarum in dextro latere adspiciendus erat, qui tamen non amplus, tumore in femore paullulum se amplificante, sensim cedebat. Processus spinosi, spina in regione octavi vel noni spondyli dorsalis paulum in externum flexa, nec ullo loco dolorifica, non erant mutati. Bona valetudo non multo deleta, quum cibo gauderet aegrotus, et quietus dormiret. At tempore vespertino mediocrem febrem animadvertit.

Quo stadio moxis duabus, applicatis in utroque spinae latere, et ad usum internum acido phosphorico et radice calami cariosae vastationi finem posui, quod vero, quum spinae curvatio, tumore in femore se non mutante, cresceret, non evenit. Itaque, debilitate augescente, febre hectica, et ultimis diebus in utroque femore erysipelate se confor-

mante, nimiis colliquationibus mors finem posuit aegritudini quarto die Julii.

In sectione, duobus diebus post mortem facta, arachnoideam tunicam incrassatam, quae similis gelatinae erat, vidi. Ventriculi laterales, sero nimio impleti, dilatatos se ostenderunt. In thoracis cavo pulmones normalem praebuere formam, praeter, quod dexter cum vicinis partibus valde concretus erat; seri copia erat solita, contra pericardium tanta hujus humoris copia impletum, ut non multum a quatuor unciis abesset. — Intestina et ipsa erant regulariter formata, contra octava thoracis vertebra penitus erat carie correpta, ita ut tenuis tantum lamina hoc loco medullam spinalem obtegeret. Hinc in dextro latere propriis membranis conclusus per psoam musculum sub ligamento Poupartii ex abdomine prosiliens, usque ad internam superiorem dextri femoris partem percurrit canalis, qui hoc loco sacciforme dilatatus, fascia lata intra musculos occultabatur. Hoc in canali pus de loco vertebrae cariosae usque ad saccum defluxit, ibique supra nominatum fluctuans ulcus formavit. Septimae, nonae, decimae, undecimae, duodecimae vertebrae corpora et ipsa carie correpta, in ligamentosis ipsorum vaginis magnam puris copiam ostendere.

Augusta Quast, operarii filia, sex annos nata, jam a prima aetate variis scrophuloseos formis oppressa, ad tollendum hoc malum sub finem mensis Aprilis anni MDCCCXXXII in nosocomium caritatis mittebatur. Quo quidem tempore aegrotae habitus ipsaque valetudo satis erat bona. Attamen, ad eam plane sanandam, ei jodeum ad Lugoldi methodum datum, ita ut quotidie grani quadrantem ejus et grani dimidium kali hydriodici sumeret. Quibus remediis sine magno eventu utebatur, neque vero damnum ullum evenit; neque enim ad pectus congestiones, neque ad tussim incitamenta, nec corporis macies subsecuta, omnesque functiones, ut solent, perfici potuerunt. Breve tantum temporis spatium repositum hoc medicamentum, quum inflammatorius genu tumor, qui primo stadio gonarthrocace apparuit, explicitus esset. Hoc tamen antiphlogistica cura non multo post remoto, jodeum denuo dabatur, dum aegra die XX mensis Junii subito gravissimis dorsi doloribus prope nucham quereretur, ita ut ipsa per se surgere non posset. Eodem tempore inferioris dextrae extremitatis paralysis suberat, quae, etsi non sensum, tamen motum plane sustulit. Partium situs neque in dorso neque in extremitate mutatus reperiebatur, tamen

primae vertebrae dorsalis processus spinosus aliquantulum prominebat; febricitavit praeterea vehementer aegrota, nam CLI pulsus quaque sexagesima horae parte numerabantur; anxie respirabat et celeriter, pectoris angor perclarus, et sicca praeterea tussis. Lingua tamen non obducta, excretiones per alvum normales, urina non multa, spissa et turbida.

Cura id primo spectavit, ut inflammatoria organorum thoracis incitatio et nuchae antiphlogisticis tolleretur remediis. Dolores re vera valde minuti, tamen cetera symptomata remansère. Erysipelas faciei, quae postea aggressa, longum tempus perduravit, omnia studia sibi expostulavit. Febris vehemens ut antea, vires delapsae, et mense Julio, diarrhoeae, nullo remedio opprimendae, subsecutae, quae perfecta paralysi XXIV die mensis Julii mortem effecerunt.

SECTIO CADAVERIS.

In cavo cranii omnia sana erant, pulmo uterque plane tuberculosus et superioris lobi in sinistro pulmone initium magnam ostendit vomicam, cujus paries cum secunda et tertia dorsi vertebra cohaerere videbatur. Quae vertebrae carie deletae, ita ut in canalem medullae spinalis perrumptum, pus

cariosum influeret. In abdomine nihil praeter vesicam urina valde extentam et glandulas mesenteriales valde tumefactas repertum est. Praeterea in ileo et inprimis in caeco compluria, tuberculis exorta minora majorave ulcerà aderant.

Theophilus Berner, sartor, XXXIV annos natus, die XVI mensis Augusti anni MDCCCXXXII in caritatis nosocomium missus, sectioni interne laborantium traditus est. Debili tantum praeditus constitutione nunquam tamen vehementer aegrotus octo hebdomades antequam in nosocomium venit, teste medico, rheumaticis doloribus opprimebatur et jam sex hebdomades magnum in sinistro superiorum colli vertebrarum latere dolorem habuit, qui mox et dextrum latus aggressus est. Tempestate humida et frigida dolor auctus, contra hilari et sicca, omnino ubi calorem aptum sibi conservavit aeger, minutus. Idonea cura, rheumatismus sublatus, contra colli dolor et rigor russicis balneis cedere noluit; sed semper major ad supremas colli duas vertebras dolor et finitas partes corripuit. Quum exciperetur aegrotus et nuchae rigor valde auctus erat, neque pronatio capitis exigua fieri et multo minus etiam ad latus moveri illud potuit.

Partes molles paulo apparebant intumefactae,

ita ut nucha paulisper convexa esset, ceterum vero normales. Capitis habitus proprius; tanquam ad columnam vertebralem attractum. Deglutitio, inspiratio et altius colloquium magnos colli excitavit dolores, qui usque ad columnam vertebralem processere. Qui aeger sensus et praesertim dolores valde minuti quieto horizontali situ, et augebantur, quum aeger lectum relinqueret. Conditio praeterea aegri bona. Interne sumsit resinae guajaci, sulph. depur., tart. depur. ana ʒjj, elaeosach. foenic. ʒj quotidie ter cochlear minus. Praeterea alternis diebus invicem quindecim sanguisugae doloroso nuchae loco appositae et regioni circum illum quotidie scrupulum unguent. hydrarg. cin. infrictum. Statim post hirudinum applicationem dolores remittebantur, tamen nonnullis horis post denno subsequebantur. Ceterum hanc curam aegrotus bene tulit, ideoque tres per hebdomades continuari potuit. Quibus praeterlapsis dolores valde exigui, et rigor tantum et capitis habitus remansere. Aeger modo nominato pulvere utebatur, hirudinum applicatio et infrictio hydrargyri finiebantur; quarum loco utroque in latere secundae colli vertebrae moxa deusta, eoque pus derivabatur per sex hebdomades; idque optimum habuit eventum; dolores evanuere, motus

liber, praeter exiguum rigorem, ad quem repellendum, moxae cicatrice fere obducta, setaceum applicatum est, ita ut aeger quatuordecim post dies sanatus dimitteretur. Sed, ut setaceum ob praecautionem per aliquod tempus ferret, ei mandatum est.

VITA.

Carolus Albertus Rudolphus Grunow anno MDCCCIX vigesimo et quinto die Decembris in oppido, quod Schoenebeck dicitur, natus patre Fr. Lud. Grunow et matre e gente Günther, quam mortuam lugeo, confessioni evangelicae addictus sum. Prima pueritia in domo paterna institutus, deinde in schola Magdeburgensi litteris operam dedi. Tum anno MDCCCXXIII Instituti medico-chirurgici Friderici-Guilelmi civibus adscriptus sum, ubi per quadriennium utriusque medicinae studiis me tradidi, atque his virorum illustrissimorum et celeberrimorum praelectionibus et exercitationibus clinicis interfui: Ill. Wolff de hodegetice, logice et psychologia; Ill. Link de historia naturali, botanice, toxicologia et de plantis cryptogamicis; Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. Hermbstaedt de chemia pharmaceutica; Ill. Turte de physice, chemia et pharmacia; Ill. Schulz de botanice, materia medica et physiologia; Ill. Eck de physiologia, Beat. Knape de osteologia, splanchnologia; Ill. Schlemm de syndesmologia; Beat. Rudolphi de encyclopaedia et methodologia medica, de anatomia corporis humani universa, de anatomia organorum sensuum et foetus humani, de entozois et de physiologia; Ill. Osann de materia medica et de fontibus medicatis; Ill. Hufeland jun. de pathologia generali, semiotice, therapia generali et speciali; Ill. Horn de pathologia speciali, de morbis syphiliticis et de

morbis mentis et animi; Ill. Casper de arte formulas medicas concinnandi et medicina forensi; Ill. Kluge de chirurgia generali, de ossibus fractis et luxatis, de arte obstetricia, de arte fascias applicandi et de akiurgia; Ill. Rust de chirurgia audivi. In arte cadavera rite dissecandi Beat. Knape et Beat. Rudolphi mihi duces erant. Praeterea Celsi de medicina libros Ill. Hecker mihi interpretatus est.

Exercitationibus clinicis medicis chirurgicis, ophthalmiatricis et obstetriciis virorum Ill. Ill. Wolff, Bartels, de Graefe et Kluge interfui.

Quibus studiis absolutis in nosodochio caritatis Berolinensi per annum medico-chirurgi inferioris muneribus fungor.

Jam vero tentaminibus legitimis philosophico et medico rite absolutis, examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superato, spero, fore, ut dissertatione et thesibus defensis summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

THESES DEFENDENDAE.

I. Incisiones majores in hydrope sunt rejiciendae.

II. In amputatione penis cultro praeferenda est ligatura.

III. Arsenici usus non est rejiciendus.

IV. Syphilis non semper sanari potest.